QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE AGITANDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXX. MARTII, MAGISTRO IOANNE HENAVLT DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An vinum adultis, aqua pueris?

VT anni tempora, temperiei mutatione diuiduntur, sic & ætates; nec enim dierum numero à se inuicem dirimuntur. Perenne siquidem substantiæ triplicis, nusquã pari gradu restituendæ, diffluuium ætatum ac lethi tandem immutabilis causa, discrimina ponit. Hinc fit vt à pueritia humidissima, calidissima, principio veris analoga, eatur in pubertatem, caloris ἐκλάμψει imitanti veris exitum. Ab hac insurgit adolescentia virili virib⁹ finitima, temperatissima ætatum, quæ extremorum situ medio læta æstatis exordia repræsentat gratissima. Virilem ætas consistens excipit autumnali matura indole; sed & eadem vergit in hybernam senectutem, siccissimam frigidissimamque, cursitantem fluxu continuo, donec fati metas contigerit.

IRREQVIETOS ætatum lapsus tardat quantum potest natura, haud incassum artis adiuta molimine, aëre, cibo, & potu spirituosam, solidam, & humidam substantiam exhaustam sarciendo, pro suo quamque modo; similibus enim seruat temperata, vt & intemperata; sed hæc restituit contrariis, imo & perimit. Effluuium humidæ indigitat appetitus humidi, siti internunciâ, restinguendâ potu, cui ferè pares duo possunt esse faciundo satis, vinum, quod terræ sanguinem rectè dixeris, & aqua; ambo sapore, colore, odore, consistentiâ probanda; tutius incolumitate diuturnâ vtentium. Aquarum aliæ simplices καὶ ἀνθρυεῖς, aliæ compositæ varios in vsus, simplicium species ὄμβριον, φρεάτιον, λιμναῖον, πηγαῖον, ποτάμιον.

PLVVIA leuissima, primęuæ originis labe eluta pręstantiæ primis micat in gradibus, inutilis nulli ætati, pueris perquam vtilissima, alioquin ocyssime computrescit. Putealis, pluuiæ dotibus opposita, bonitatis occupat extremum; frigidior enim crassáque reluctatur coctioni, tardè distribuitur, flatibúsque tumet, cruditatum parens. Palustres dubiæ, quia immobiles, non immotæ tamen, in eodem enim temperiei statu nunquam manent; æstate torrentur, hyeme rigent: hinc febrium omnigenum ortum genus, hinc lienosi, hinc hydrops, qui & ipse tabes. Salubritate prioribus antistat fluuialis, qualem transeuntibus Nilus, qualem offert Sequana; alieno nec gustu, nec colore, nec odore, sed priuo solis ὑδροπόταις notissimo probanda (ἀποιότατον γὰρ φαίνεσθαι δεῖ τὸ ὕδωρ) nusquam illaudata grauitate; æquius hypochondriorum μετεωρισμῷ, quàm statera damnanda.

FONTANARVM purissimæ, quæque censuram non metuunt, optimæ quarum ad orientem panduntur ostia; inauspicatiùs fluunt quæ è rupe Septentrionem versus prosiliunt. Permixtarum, quæ innatam exuêre naturam, quædam deleteriæ; Therapeutices septis aliæ conclusę, siccitate ferè cunctę famosę; cuiusmodi sulphureę, nitrosæ, bituminosę, aluminosæ, chalcantho delibutæ, æreę, ferreę, &c. (arte imitandæ non assequendæ) puerili naturę prorsus infensę, adscititias vires è terræ visceribus, quæ permeant, effodiunt vniuersę. In illis, quę erumpunt calidæ, ignibus omne exuritur scelus noxium, vt aliis etiam quæ cineribus exustisque venis erupturiunt.

VINVM verò vt qualitatibus variat, sic variis ætatibus congruit, affectibusque. Senibus & refrigeratis, annosum, fuluum, γλυκύπικρον. Iuuenibus ac macilentis subausterum, dulce, rubrum. Adultis, quadratis austerum; acerbum gracilibus, obesulis acidulum; his tribus nouum, sed defęcatum & album, ablactatis nullum, aqua domitum omnibus; sueta insuetis, peregrinis indigena pręferenda, & pura permixtis: vnicum Bacchi adulterium ex lympha complectendum. Ideo apage Cretica, Corsica, Maluatica: fuge calce, pipere, gariophyllis, aquâ vitæ, cinnamomo condita; hęc enim generosa καὶ πολυφόρα mentes mouent, tentant gressus, συγκοπὴν καὶ παλμὸν inducunt, sitim irritant implacabilem, ἀτροφίαν tabis asseclam intrudunt, morborúmque demũ pariunt Iliadem. Nostratia verò ὀλιγοφόρα & mediocria exacuunt sensus, motus cient alacres, metum discutiunt audaciâ, inculpati sanguinis vbertatem, probæ nutritionis promptuarium substituunt, excretionem omnem promouent, expetitas denique victus leges rectè adimplent vniuersas.

Ergo vinum adultis, aqua pueris.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Propugnabat Lutetiæ HERMANNVS DE LAVNAY Meduntanus, Anno R. S. M. DC. XXIII.